

40

A. lat.

862

4° A. lat. 862

Plantin

S. K. 45
19

VIRO ILLUSTRISSIMO

SUMMOPERE COLENDO AC VENERANDO

FRANCISCO ANTONIO NIEMEYER

JURIS UTRIVSQUE DOCTORI, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO

COLLEGGI DE JURE RESPONDENTIUM ORDINARIO

CONSISTORII OLIM PROVINCIALIS DIRECTORI

ORDINIS AQUILAE RUBRAE EQUITI

COLLEGAE SUO HUMANISSIMO DILECTISSIMO CONJUNCTISSIMO

COLLATAE DOCTORIS DIGNITATIS

SOLLEMNIA QUINQUAGESIMUM REDEUNTIA

DIE XXI. SEPTEMBRIS ANNI MDCCCLXI


AUSPICIIS OPTIMIS CELEBRANTI

VERE AC SINCERE GRATULATUR

ORDO JURECONSULTORUM ACADEMIAE GRYPHICAE.

GRYPHICAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. UNIVERS. TYPOGR.



Lucto gratoque animo ad Te, vir doctissime illustrissime, accedimus, festum diem, quem Tibi venisse gaudemus, Tecum concelebraturi. adsunt omnes academiae nostrae sodales, sed prae ceteris nos, ejusdem ordinis socii, studiis Te atque officiis libentissime prosequimur. nam licet qua es singulari comitate et urbanitate omnes, quibuscum commercium habuisti, devinxis, nos dulcissimae consuetudinis fructu ita Tecum conjunxisti, ut intimae familiaritatis jure quidquid Deus optimus maximus in Te conferat, idem nobis tributum censeamus.

Optimum quidque rarissimum solet esse: per dimidium saeculum summis fungi in jure honoribus praeclarissimum videtur munus, perpaucis concessum. quippe in rebus humanis quinquaginta annorum longum est spatium, quo quinquages repetito prope totum, cujus apud nos memoria certa exstat, tempus expleamus. nec sane haec, per quae Tu justitiae habuisti sacerdotium, decem lustra rerum mirifice gestarum atque gravissimarum, quae universam fere mortalium per-

moverint gentem, mutationum copia ab alia qualibet ejusdem mensurae aetate facile superentur. nam quo tempore summis honoribus ornatus es, patria nostra hostili impetu percussa et afflicta ita jacebat, ut vel boni et constantes viri desperarent saluti publicae; mox resurgentem conjuncta principis populi que virtute ad summum gloriae fastigium efferri vidisti. fuis enim profligatisque hostibus augusti victores sancto foedere caverunt, ne aut publicae aut privatae per totam Europam res simile in periculum possent relabi, tutam adeo stabilemque quasi in aeternum populorum, quorum ipsis fata commissa erant, condicionem reddere moliti. caruerunt eventu pia consilia: nam brevi post apparuit stabile atque immutabile ita constitutum esse nihil. ubique homines exstiterunt rerum novarum studiosi, qui modo verbis modo armis adgrederentur tranquillitatis publicae custodes. quibus in contentionibus victores et victi mutuis cladibus incensi etiamnum a pace et concordia tantum absunt, ut jam nihil certum

esse videatur praeter certamina iterum iterumque renovanda. tantas vero regnorum et civitatum per hos quinquaginta annos conversiones non minores morum artiumque mutationes comitatae sunt. etenim per longam felicissimorum inventorum seriem eo pervenit generis humani solertia, ut non solum quae in terra gignuntur sed ignem item et aquam et aërem servire sibi coegerit; unde tantam omnium rerum, et quas natura desiderat, et quas nemo olim desiderabat, copiam consecuta est, ut prope metuendum sit ne homines rursus rerum anima carentium fiant servi.

Inter haec Tu, vir amplissime, maxima discrimina optimum semper Te virum et civem praebuisti. adolescens vix summos in jure honores adeptus, uti aetatem decebat, gladio cinctus hostes prostravisti. reportata victoria redux pacis artes excoluisti. ad jus docendum vocatus liberalissima doctrina instituisti discipulos. idem ubi iudex sedebas causas obscuras ac difficiles ita explicasti ut omnibus,

qui sententias Tuas evolverent, exempla posuisse videreris. nec tamen omnes in jure colendo exhausti vires, sed nihil unquam quod aevum Tuum permoveret a Te, alienum esse ratus omnibus bonis studiis operam navare nunquam dubitasti.

Jam pro hac mira Tua humanitate, ne hoc quidem munusculum despicias. ad diem festum celebrandum exscripsimus fabulas, quae et ipsae ludorum ac festorum dierum causa confectae sunt. Tu quidem quae comoediarum auctor proferat ab jure aliena esse non exstimabis, quippe qui egregie nosti, quam arcte jus cum tota vivendi ratione cum publica tum domestica cohaereat. quodsi leve est et exile quod damus, Tu pro Tua facilitate ac benevolentia non pretium quaeres muneris, sed animum agnoscas collegarum gratum pium obsequiosum, talem denique qualis juniorum esse debet in senem meritis gravem. hoc animo, faxit Deus, ut ad extremos vitae humanae terminos integer integro fruaris.

LOCI PLAUTINI DE REBUS CREDITIS

QUOS COMPOSUIT

ERNESTUS IMMANUEL BEKKER
JURIS UTRISQUE DOCTOR ANTECESSOR GRYPHICUS.

De rebus creditis praetorem edixisse constat. sub eodem titulo locupletissima ex scriptis jureconsultorum fragmenta in Pandectas Justinianeos inserta sunt, unde nonnihil et de historia crediti colligi licet; nonnihil absconditum etiam remansit. neque enim ceteri de antiquiore credito sunt uberrimi fontes, neque exhausti hucusque. quapropter e re esse videatur locos componere qui, quamvis jamdudum cogniti, nondum ita perquisiti sunt, ut jam nihil amplius erui inde possit.

Plautum itaque adgrediamur, rerum Romanarum domesticarum auctorem florentissimum, qui licet mores interdum alienos depinxit, verbis utique Romanis usus est. quare dubium non erit, verbi credendi vim ac notionem, quae olim fuerint, ejus ex fabulis posse comprobari.

De citandi Plautinos locos ratione praemoneri opus est. nam qui nostro aevo artis criticae ministri sunt in emendandis comoediis tantum profecerunt; ut antiquiores editiones sufficere nobis non amplius videantur; nec tamen omnes sua opera complexi sunt fabulas. itaque verba posui qualia Ritschelius constituit ubicunque poteram; in Asinaria in Curculione in Captivis in Rudente Fleckeisenium secutus sum; in ceteris a lectione Gronoviana non recessi. item Gronovium in numeris versuum citandis secutus sum, hanc quasi vulgatam recensionem ratus, quae etiam ex Ritschelii et Fleckeiseni libris cognosci posset.

Qua genus a specie creditum a mutuo differre Paulus docet. quam speciem ipsam Plauti aetate creditum dictam esse ex compluribus patet locis:

a, *Trin.* IV 3 (R. 1051—54).

si qui mutuom quid dederis, fit pro proprio perditum
quom repetas, inimicum amicum invenias bene facto tuo;
mage si exigere coepias, duum rerum exoritur optio:
uel illut quod credideris perdas, uel illum amicum amiseris.

β, *Persa* I 1 (R. 36, 37, 43, 44).

37 T. ut mihi des nummos sescentos, quos pro capite illius pendam:

38 quos continuo tibi reponam hoc triduo aut quadriduo
.....

- 44 alicunde exora mutuom. S. tu fac idem quod rogas me.
- 45 T. quaeivi: nusquam repereram. S. quaeram equidem si quis credat.

γ, Merc. I 1 (R. 58).

- 52 omnes timerent mutuitanti credere.

tale creditum cum fenore conjungi mirum non est, sed et ipsum fenus creditum videmus.

δ, Most. III 1 (R. 532—35, 560, 61, 590—92, 599, 600, 625—32, 37—39, 47, 48).

- 1 DA. scelestiorem ego annum argento faenori numquam ullum uidi, quam hic mihi annus optigit. a mani ad noctem usque in foro dego diem:
- 4 locare argenti nemini nummum queo.
- 33 set Philolachetis eccum seruom Tranium
- 34 qui mihi nec faenus nec sortem argenti danunt.
- 62 molestus si sum reddite argentum: abiero responsiones omnis hoc uerbo eripis.
- 64 TR. sortem necipe. DA. immo faenus, id primum nolo. TR. quin sortem [iam redhi]bebit. DA. quin eam non peto: mihi faenus reddat, faenus actutum mihi
- 100 TH. id uolo mihi actutum dici, id me scire expeto,
- 94 quod illuc argentumst. TR. huic debet Philolaches
- 95 paulum. TH. quantillum? TR. quasi quadraginta minas.
- 96 TH. paulum id quidemst? TR. ne sane id multum censeas.
- 101 TH. adeo etiam faenus creditum argenti audio.
- 102 TR. quattuor quadraginta illi debentur minae,
- 122 et sors et faenus. DA. tantumst nihil plus peto.
- 123 TR. uelim quidem hercle ut uno nummo plus petas.
- 106 TH. quid eost argento factum? TR. saluomst. TH. solnite nosmet igitur, si saluomst. TR. aedis filius
- 108 tuus emit.
- 114 talentis magnis totidem, quod ego et tu sumus.
- 115 set arraboni has dedit quadraginta minas.

quod argentariis creditur mutuo simile depositum esse videtur, in Curculione tarpessita sic loquitur:

ε, Curc. III (Fleck. III 371—79) — cf. μ, et μα.

- 1 beatus uideor: subduxi ratiunculam, quantum aeris mihi sit quantumque alieni siet. diues sum, si non reddo eis quibus dehibeo, [si reddo illis quibus debeo, plus alieni est.]

- 5 uerum hercle uero belle quom recogito si magis me instabunt ad praetorem sufferam. habent hunc morem plerique argentarii ut alius alium poscant, reddant nemini,
- 9 pugnis rem soluant, si quis poseat clarius quocum jungendum est.

ς, Curc. V 3 (Fleck. 679—85).

- 1 argentariis male credi qui aiunt, nugas praedicant: nec bene nec male credi dico: id adeo ego hodie expertus sum. non male creditur qui numquam reddunt, set prorsum perit. velut decem minas dum [hic] soluit, omnis mensas transit: postquam nil fit, clamore hominem posco: ille in ius me uocat. pessume metui ne mi hodie apud praetorem solueret:
- 7 uerum amici compulerunt: reddit argentum domo.
- ζ, Curc. IV 3 (Fleck. act. V 535—36, 40—45, 49—53—).
- 3 TH. nunc nisi tu mihi propere properas dare iam triginta minas, quas ego apud te deposui uitam propera ponere.
- 8 LU. nec tu me quidem unquam subiges redditum ut reddam tibi, nec daturus sum. TH. idem ego istuc quom credebam credidi te nihil esse redditurum. LU. lusco liberto tuo, is Summanum se uocari dixit; ei reddidi, qui has tabellas opsignatas attulit.
- 13 TH. quid fecisti. LU. quod mandasti, feci honoris gratia, tuum qui signum ad me attulisset nuntium ne spernerem TH. stultior stulto fuisti, qui his tabellis crederes. LU. quis res publica ei priuata geritur, is non crederem? ego abeo: tibi res solutast recte.

haud dissimile creditum ex Bacchidibus desumptus spectat locus, ex quo symbolorum quoque inter peregrinos usum magis etiam cognosci licet.

η, Bacch. II 2 (R. 230, 31).

- 52. milla et ducentos Philippos tulimus aureos Epheso, quos hospes debuit nostro seni.
- II 3 (R. 250, 259—66, 70—73, 75, 83—85).
- 16. N. accepitne aurum ab hospite Archidemide?
- 25 CH. primum dum infitias ire coepit filio negare se debere tibi tribulum, continuo ibi antiquom hospitem nostrum sibi Mnesilochus aduocauit, Pelagonem senem: eo praesente homini extemplo ostendit sumbolum quem tute dederas ad eum ut ferret filio.
- 30 N. quid ubi ei ostendit sumbolum. CH. infit dicere

- 32 adulterinum, non uerum esse symbolum.
 36 postquam quidem praetor recuperatores dedit
 damnatus demum ui coactus reddidit
 mille et ducentos Philippos. N. tantum debuit.
 39 CH. porro etiam ausculta pugnam, quam uoluit dare
 41 N. deceptus sum: Antolyco hospiti aurum credidi.
 49 adcon me fuisse fungum, ut qui illi crederem,
 quom mi ipsum nomen eius Archidemidis
 51 clamaret dempturum esse, si quid crederem.

neque irregulare solum depositum creditum dicitur:

ϕ, *Aul. prol.*

- 6 sed mihi avos hujus observans concredidit
 thesaurum auri clam omnis: in medio foco
 8 defodit, venerans me, ut id servarem sibi.
 15 ubi is obiit mortem, qui mihi id aurum credidit.

ι, *Aul. III 6.*

- 44 edepol nae tu, Aula, nullos inimicos habes,
 atque istuc aurum, quod tibi concreditum est.
 nunc hoc mihi factum est optimum, ut te auferam
 Aulam in Fidei fanum: ibi abstrudam probe.
 Fides, novisti me et ego te: cave sis tibi,
 ne tu in me mutassis nomen, si hoc concreduo:
 ibo ad te, fretus tua, Fides, fiducia.

αα, *ibid. IV. 2.*

- 7 uide Fides etiam atque etiam nunc, salvam ut aulam abs te auferam.
 8 tuae fidei concredididi aurum: in tuo luco et fano modo est situm

ιβ, *ibid. IV. 6.*

- 1 Fidei censebam maxumam multo fidem
 2 esse. ea sublevit os mihi paenissimum
 10 certum est, Silvano potius credam, quam Fidei.

ιγ, *Persa III 3 (R. 440—41).*

- 35 non hercle, quoi nunc hoc dem spectandum scio.
 36 T. fortasse metuis in manum concredere?

ιδ, *Men. V 1 (R. 701—2).*

- 1 nimis stulte dudum feci, quom marsuppium
 2 Messenioni cum argento concredididi

ibid. V 7 (R. 1035—38).

- 46 MES. mane me: nunc ibo in tabernam, uasa atque argentum tibi
 referam. rectest obsignatum in uidalo marsuppium

- cum uiatico: id ego tibi iam huc adferam. MEN. adfer strenue:
 49 MES. saluom tibi item ut mihi dedisti reddibo.

similiter creditur quod datur alicui perferendum ac solvendum alteri:

ιε, *Bacch. IV 9 (R. act. V v. 1059—66).*

136. NI. cape hoc tibi aurum Chrysale: i, fer filio.
 ego ad forum autem hinc ibo ut soluam militi.
 CH. non equidem accipiam: proin tu quaeras qui ferat.
 nolo mihi credi. NI. cape uero: odiose facis.
 CH. non equidem capiam. NI. at quaeso. CH. dico ut res se habet.
 NI. morare. CH. nolo, inquam, aurum concredi mihi.
 uel da aliquem qui me seruet. NI. odiose facis.
 143 CH. codo si necesseset.

ις, *Trin. IV 2 (R. 954—57, 61—62).*

- 112 an ille tam esset stultus, qui mihi mille nummum crederet
 Philippum, quod me aurum deferre iussit ad gnatum suum
 atque ad amicum Calliclem, quoi rem abbat mandasse hic suam?
 115 mihi concrederetne, ni me ille et ego illum nossem approbe
 119 neque oculis ante hunc diem unquam uidi, ei ne aurum crederem?
 120 quoi, si capitis res sit, nummum numquam credam plumbeum.

ις, *Asin. II 4 (Fleck. 457—58, 61—63, 87, 88, 91—94, 499—503).*

- 51 LI. da modo meo periculo; rem saluam ego exhibebo:
 nam si sciat noster senex fidem non esse huic habitam
 53 suscenseat, qui [huic] omnium rerum ipse semper credit.
 55 da, inquam; yah! formido miser ne hic me tibi arbitretur
 suassisse sibi ne crederes. da quaeso, ne formida:
 57 saluom hercle erit. ME. credam fore dum quidem ipse in manu habebo.
 80 . . . ME. tam numquam huic feres argenti nummum, nisi me
 81 dare iusserit Demaenetus.
 84 praefiscini hoc nunc dixerim: nemo etiam me accusauit
 merito meo, neque me alter est Athenis hodie quisquam,
 quoi credi recte aeque putent. ME. fortassis! set tamen me
 81 numquam hodie induces ut tibi credam hoc argentum ignoto
 92 . . . LE. Periphanes Rhodo mercator dives
 apsepte ero solus mihi talentum argenti soli
 adnumerauit et credidit mihi, neque deceptust in eo.
 ME. fortasse. LE. atque etiam tu quoque ipse, si esses percontatus
 me ex aliis, scio pol crederes nunc quod fers.

ιη, *Pseud. II 3 (R. 623—33, 640—44).*

- 28 . . . Ps. nam olim quom abiit argento haec dies
 praestitutast, quoad referret nobis, neque dum rettulit.
 30 H. immo adest. PS. tun' attulisti? H. egomet. PS. quid dubitas dare?
 H. tibi ego dem? PS. mihi hercle uero. qui res rationesque eri

- Ballionis curo, argentum accepto, et quoi debet dato.
H. siquidem hercle etiam supremi promptes thesauros Iouis,
tibi libellam argenti numquam credam. PS. dum te strenuas
35 res erit soluta. H. uinctam potius sic seruauero.
PS. uae tibi: tu inuentu's uero, meam qui furcilles fidem.
quasi non mihi sescenta tanta soli soleant credier.
38 H. potis ut alii ita arbitrentur, et ego ut ne credam tibi
.
45 PS. uerum si dare uis mihi
magis solutum erit quam si ipsi dederis. H. at enim scin quid est?
reddere hoc non perdere erus me misit. nam certo scio
nunc febrim tibi esse, quia non licet huc inicere ungulas.
49 ego, nisi ipsi Ballioni, argentum credam nemini.

ubicunque quis dando fidem sequi videtur accipientis, credere dicitur.

- φ*, *Merc.* II 1 (R. 232—33, 238—39, 246).
8 . . . [capram] quam mercatus fueram, uisus sum
9 in custodelam simiae concredere
.
14 dicit capram quam dederam seruandam sibi
15 suae dotem uxoris ambadedisse.
.
22 ast non habere quoi commendarem capram
 κ, *Rud.* IV 4 (Fleck. 1127—28).
83 D. cedo [sis] modo mi uidulum istum, Gripe. G. concredam tibi:
at si istorum nil sit, mihi uti reddas. D. reddetur. G. tene.
 κα, *Capt.* II 2 (Fleck. 290—92).
40 quin etiam ut magis noscas: genio suo sibi quando sacrificat,
ad rem diuinam quibus opus est Samiis uasis utitur;
42 ne ipse genius subripiat: proinde aliis ut credat uide
 κβ, *Rud.* II 7 (Fl. 574, 76, 578, 581).
16 C. da mihi vestimenti aliquid aridi
mea dum arescunt
18 S. tegillum eccillut mihi unum aret, id si uis dabo
.
20 tu istacc mihi dato: exarescent faxo
.
23 tibi ego numquam credam, quicquam nisi si accepto pignore.
 κγ, *Curc.* IV 1 (Fleck. v. 464—66).
3 ornamenta quae locaui metuo ut possim recipere.
quamquam cum istoc mihi negoti nihil est (ipsi Phaedromo
credidi), tamen adseruabo

- κδ*, *Mil.* III 2 (R. 836—39).
23 alii ebrii sunt, alii poscam potitant.
bono supromo et promo cellam creditam,
— tu idem hercle faceres, si tibi esset credita.
26 quoniam aemulari non licet, nunc inuides
 κε, *Capt.* IV 3 (Fleck. 901).
1 mihi rem summam credidit cibariam.
 κς, *Trin.* III 1 (R. 620—21).
19 nimium difficilest reperiri amicum ita ut nomen eluet,
20 quoi tuam quom rem credidoris, sine omni cura dormias.
ut res item personae creduntur:
 κζ, *Capt.* II 2 (Fleck. 345—49).
95 hunc mitte
nec quemquam fideliozem neque quoi plus credat potes
mittere ad eum, nec qui magis sit seruos ex sententia,
neque adeo quoi tuum concredat filium hodie audacius.
ne uereare: meo periclo ego huius experiar fidem
 ibid. V. I (Fl. 926, 27, 30, 31).
5 hunc [ego] conspicio in potestate nostra
6 huius repertast fides firma nobis
10 PH. quid nunc, quoniam tecum seruau i fidem
11 tibi que hunc reducem in libertatem feci?
 κη, *Trin.* I 2 (R. 112—18, 138—39).
75 quoniam hinc iturust ipus in Seleuciam
mihi commendauit uirginem gnatam suam
et rem suam omnem et illum corruptum filium.
haec si mihi inimicus esset, credo haut crederet.
ME. quid tu adulescentem, quem esse corruptum uides
qui tuae mandatus est fide et fiducia,
81 quin eum restituis?
101 cdepol mandatum pulchre et curatum probe.
102 crede huic tutelam: suam rem melius gesserit.
potest aliquis se ipsum alteri credere:
 κθ, *Rud.* II 6 (Fl. 485—86).
1 qui homo [esse] sese miserum et mendicum uolet
Neptuno credat sese atque aetatem suam
 λ, *Most.* II I (R. III v. 431, 32, 36, 37).
1 habeo Neptunc, gratiam magnam tibi
2 quoniam amisisti me a te uix uiuom modo.

- 6 apage apage te a me nunc iam post hunc diem:
- 7 quod crediturus tibi fui, omne credidi.

nec minus verba et cogitationes credi possunt:

λa, Epid. IV 1.

PE. salua sis. PH. salutem accipio mihi et meis. PE. quid ceterum?
 PH. saluos sis: quod credidisti reddo. PE. haud accuso fidem.

cf. Bacch. II 3 (R. 245—46).

- 11 quin tu salutem primum reddis quam dedi
- salue.

λβ, Persa IV 3 (R. 528).

- 59 postquam recitasti quod erat cerae creditum.

λγ, Trin. I 2 (R. 150—51, 54, 55).

- 113 thesaurum demonstravit mihi in hisce aedibus
- 114 hic in conclavi quodam
- 117 flens me obsecrauit suo ne gnato crederem
- 118 neu quoiquam unde ad eum id posset permanascere,

λδ, Trin. I 2 (R. 140—5).

- 103 subigis maledictis me tuis
- ut, quod meae concreditumst
- taciturnitati clam fide et fiduciae,
- ne enuntiarem quoiquam neu facerem palam,
- ut mihi necesse sit iam id tibi concredere.
- 108 ME. mihi quod credideris sumes ubi posueris,

λε, Poen. IV 2.

- 53 SG. quasi tu tacere quicquam potis sis. M. rectius
- tacitus tibi resistam, quam quod dictum est malae mulieri.
- SG. animum inducam facile ut tibi istuc credam, sic te nouerim.
- 56. M. crede audacter meo periculo. S. male credam et credam tamen.
- 104 nam et hoc nocte consulendum quod modo concreditumst.

λς, Truc. II 4.

- 34 tibi mea consilia summa semper credidi
- 83 suppositionem pueri quae mihi credidit;
- germanae quod sorori non credit soror.

λζ, Cas. II 8.

- 42 ei ego amorem omnem meum concredui.

λη, Persa II 2 (R. 241—43).

- 59 P. mihi quoque edictumst magnopere, ne quoiquam homini crederem.
- omnes muti uti loquerentur prius hoc, quam ego. SO. at tu hoc face:
- 61 fide data credamus.

λθ, Ps. II 1 (R. 576).

- 3 nam ea stultitias, facinus magnam timido cordi credere.

redimus ad res corporales. quas aliter etiam quam dando vel tradendo credi posse ex his apparebit locis:

μ, Persa III 2 (R. 400—3).

- 1 quidnam esse acturum dicam hunc uicinum meum
- qui mihi iuratus est se hodie argentum dare?
- quod si non dederit atque hic dies praeterierit
- 4 ego argumentum ille fururandum perdiderit

ibid. III 3 (R. 413—16, 422—26, 431—39).

- 9 T. tene sis argentum. etiam tu argentum tenes?
- possum te facere ut argentum accipias, lutum?
- non mihi censebas tantulum argenti fore,
- 12 qui nisi iurato mihi nil ausus credere.

- 17 D. cedo sis mi argentum: da mihi argentum impudcas
- possum a te exigere argentum? argentum inquam cedo.
- quin tu me argentum reddis? nilne te pudet?
- leno te argentum poscit, solida seruitus,

- 21 pro liberanda amica.

- 26 T. iam omitto iratus esse. id tibi suscensui
- quia te negabas credere argentum mihi.
- D. mirum quin tibi ego crederem, ut idem tu mihi

- faceres, quod parsim faciunt argentarii;
- 30 ubi quid credideris citius extemplo a foro
- fugiunt, quam ex porta ludis quom emissust lepus.

- T. cape hoc sis. D. quin das. T. nummi sescenti hic erunt
- probi numerati: fac sit mulier libera,

- 34 atque huc continuo adduce.

ibid. V 2 (784—85).

- 7 ita misero Toxilus haec mihi concui,
- 8 quia fidem ei non habui argenti, eo mihi eas machinas molitust.

μα, Pseud. I 3 (R. 279—80, 83—87, 294—305, 315—19).

- 45 hunc pudet quod tibi promisit quaque id promisit die

- 46 quia illas tibi minas uiginti pro amica etiam non dedit.

- 49 at dabit parabit: aliquot hos dies manta modo.

- nam id hic metuit, ne illam uendas ob similitatem suam

- B. fuit occasio si uellet jam pridem argentum ut daret.

- C. quid si non habui? B. si amabas inuenires mutuum.

- 53 ad danistam deuenires ad leres faenusculum.
- 60 nullus est tibi quem roges
mutuom argentum? C. quin nomen quoque iam interit mutuom.
PS. heus tu postquam hercle isti a mensa surgunt saturata cute,
qui suum quom repetunt, alienum reddunt nato nemini,
postilla omnes cautiores sunt, ne credant alteri.
- 65 C. nimis miser sum: nummum nusquam reperire argenti queo:
ita miser et amore pereo et inopia argentaria.
B. emito die cacca hercle oliuom, id uendito oculata die:
iam hercle uel ducentae possunt fieri praesentes minae.
C. perii: annorum lex me perdit quinauicennaria.
metuont credere omnes. B. eademst mihi lex; metuo credere.
- 71 PS. credere autem? cho paenitetne quanto hic fuerit usui?
- 81 face quod te rogamus, Ballio
mea fide, si isti formidas credere. ego in hoc triduo
aut terra aut mari alicunde aliqua euoluam id argentum tibi.
B. tibi ego credam? PS. cur non? B. quia pol qua opera credam tibi
- 85 una opera alligem canem fugitiuam agninis lactibus.

μβ, As. II 4 (Fleck. v. 436—40).

- 30 LE. set uina quae heri uendidi uinario Esaerambo
iam pro is satis fecit Sticho? LI. fecisse satis opinor:
nam uidi huc ipsum adducere trapessitam Exaerambum.
LE. sic dederō. prius quae credidi, uix anno post exegi.
nunc sat agit: adducit domum etiam ultro et scribit nummos.

interdum credendi verbo et generalis magis vis est, vel certe ad quam speciem referendum sit non liquet:

μγ, Pseud. I 1 (R. 128, 29).

- 125 omnibus amicis notisque edico meis
in huuc diem a me ut caueant, ne credant mihi

ibid. III 2 (R. 903—4).

- 113 nunc ibo intro atque edicam familiaribus,
profecto ne quis quidquam credat Pseudulo.

μδ, Persa IV 3 (R. 476—78, 482—85).

- 7 set ut ego hodie fui benignus, ut ego multis credidi,
nec satis a quiquam homine accepi: ita prosum credebam omnibus.
- 9 nec metuo quibus credidi hodie, ne quis mi in iure abiurassit.
- 13 T. quid agis? D. credo. T. unde agis te Dordale? D. credo tibi.
T. di dent quae uelis. cho, iam manu misisti mulierem?

- 16 quin tibi me dico credere.
- 94 nequom est tenere: per fidem quod creditum est,
ne bene merenti sit malo benignitas.
- 26 tibi creditum tibi quod sit, tibi datum esse pernegaris.
- 10 qui abiurant siquid creditumst.

notandum denique est alia quoque ratione Plantum nostro uti verbo, ut illum credere dicat, qui quod accipiat pro uero accipiat quoniam fidem habet in a quo accipiat, quod cum ad jus parum pertineret, operis pretium esse non uidebatur hoc qui probarent addere locos.

Pauca sunt quae addam: ut alios scriptores item Plautum varie verbo credendi uti uideamus, qui credit fidem alteri habet; at interdum credendo singularis fidei probandae ratio demonstratur, interdum omnes rationes idem uerbum amplecti uidetur: idem nunc de accipiente dici, nunc de dante, qui fidem habeat vel alterius sequatur fidem, modo commemorauimus. quaeri possit quanam principalis credendi vis fuerit: utrum generalis illa, ut postea tandem ad speciales credendi rationes idem uerbum translatum sit, an specialis quaedam, unde latior paulatim usus manauerit? idquod et aliis uerbis multis accidit, et hujus ipsius specie comprobari uidetur. etenim „cre-dere“ compositum dicas uerbum, cui similia sint „per-dere“ „uen-dere“ et alia a „dando“ profecta, quod et flexione confirmatur, „cre-dui“ „cre-didi“ „cre-ditum“, quae uix in alio non ex dandi radice nato inuenias uerbo. prima syllaba, quae est „cre“, quid sibi uelit minus patet. neque enim cum fide uel alio quod idem prope significet conjungi possit uerbo, nec „cre-ire“ exstat quod cum „per-ire“ ac „uen-ire“ sit comparandum. quae sola nostram syllabam reddunt, sunt „cre-are“ ac „cre-acere“ uerba, inter se uidelicet arcte cohaerentia. uix erit qui neget omnem in iure periculosam esse etymologiam. hanc si quis probat uerbi explicationem, „credere“ illum fortasse dicat, qui det aliquid ut crescat, uelut fenore auctum redhibeatur. si millimum uideretur Graeco ὀφέλλειν, id est augere, unde ductum et quod apud

Homerum legitur *χρεῖος ὀφείλεται*, et quod postea pro debito non minus quam *χρεῖος* in usu est *ὀφείλημα*.

Nec me quod objici possis fugit: nunquam Romanos, praesertim qui primis saeculis fuerint, ita credidisse ut quod crederent adauctum fenore ex credito et crediti quidem actione repeterent, imo duas fuisse obligationes, alteram de mutuo ex qua nil amplius quam datum ipsum fuerit restituendum, alteram de usuris quae inter partes adjici convenerit. nec tamen propterea recedere ab illa etymologia cogimur. nam si moris olim erat, omne mutuum cum fenore conjungere, mutuum datum perbene „creditum“ „cretum-datum“ dici poterat, etiamsi mutuum datum altera, altera quod accresceret fenus actione petendum fuisset.

Magis quam haec certum est Plautinos locos optime congruere cum gravissimis Pandectarum de rebus creditis tituli fragmentis, quae nonnunquam dicta sunt obscura et ambigua esse.

fr. 1 (Ulp. l. 26 ad edict.). e re est priusquam ad verborum interpretationem perveniamus pauca de significatione ipsius tituli referre. quoniam igitur multa ad contractus varios pertinentia jura sub hoc titulo praetor inseruit, ideo rerum creditarum titulum praemisit. omnes enim contractus, quos alienam fidem secuti instituimus complectitur. nam ut l. I Quaest. Celsus ait, credendi generalis appellatio est. ideo sub hoc titulo praetor et de commodato et de pignore edixit. nam, cuicumque rei adsentiamur alienam fidem secuti, mox recepturi quid ex hoc contractu, credere dicimur.

praetor ergo sub hoc titulo de variis locutus est contractibus, videlicet de iisdem qui populariter credendi verbo significabantur. commodatum et pignus ab Ulpiano nominantur; mutuum sub eodem titulo positum fuisse dubium non est, apud Plautum praeter mutuum commodatum (cf. *κβ*) et depositum (cf. *δ* — *ιδ*) et mandatum (cf. *ις*, *ιζ*, *κδ* — *κη*) et locatum (cf. *κγ*) inter crediti species haberi vidimus. in quibus omnibus contractibus patet dantem, i. e. creditorem, fidem sequi illius cui det. cum enim det ea ratione, ut mox ipse aliquid recipiat, hoc sano utrum praestetur nec ne, pendet ex fide accipientis; quocum concordat quod addit Ulpianus, credere eum qui cuicumque rei adsentiens mox recepturus quid ex hoc contractu alienam fidem sequatur. his enim verbis jureconsultus procul dubio contractus demonstrat, qui ex re oriri dicuntur; alioquin nec de eo qui „rei adsentiret“ nec de „recepturo“ loqui debuisset. similiter in fragmento modo citato atque in fabulis Plautinis nulli contractui crediti nomen datur nisi qui ex re proficiscatur. num mandatum quoque et locationem re contrahi dicam, quaeris. dico, Plauti saltem aevo. etenim eo tempore ex ipso consensu nulla nascebatur

actio, sed tunc demum cum res consensum secuta esset: itaque ipsius mandati vel locationis (citra rem pactionis), nulla prope vis erat; attamen cui ex tali pactione res aliqua tradita fuisset, ad rem certe restituendam obligatus erat. mandatum praesens quidem temporibus aliter ac re contractum nunquam esse; ipsum verbum ostendit. nempe „mandare“ ac pari modo „commendare“ est „in manum dare“, id quod etiam „in manum concedere“ dicitur (cf. Trin. l. 2 v. 76—80, 91, 99—102, 121; III 2 v. 34, 114; 3 v. 76; Mil. III 2 v. 57; Merc. V l. v. 6, Persa III 3 v. 36).

Quod proponit Ulpianus comprobatur Paulus: fr. 2 § 3 h. t. (P. l. 28 ad ed.): creditum ergo a mutuo differt, quia genus a specie. nam creditum consistit extra eas res quae pondere numero mensura continentur, sicut si eandem rem recepturi sumus creditum est.

scimus enim eandem rem nos recepturos esse in deposito et commodato, item ubi rem pignori dedimus atque in locationibus, interdum etiam in mandato. adde quod in principio ejusdem fragmenti scriptum est:

mutuum damus recepturi non eandem speciem quam dedimus; alioquin commodatum erit aut depositum.

nec quod sequitur in § 3 discrepat:

item mutuum non potest esse nisi proficiscatur pecunia, creditum autem interdum etiamsi nihil proficiscatur, veluti si post nuptias dos promittatur.

§ 5 verbis quoque credimus quodam actu ad obligationem comparandam interposito, veluti stipulatione. sed quibusdam Paulus in § 1 a se ipso dissidere visus est, cum dicat earum rerum datione posse nos in creditum ire, quae in genere suo functionem recipiant, adjiciatque:

nam in ceteris rebus ideo in creditum ire non possumus, quia aliud pro alio invito creditori solvi non potest.

at patet in hac § 1 Ictum generis nomine ad speciem significandam abuti, nam quod dicit „in creditum ire“ idem est ac „mutuum contrahere“. simili ratione Ulpianus in fr. 24 § 2 de rebus auct. jud. (42, 5): „aliud“ ait „est enim credere, aliud deponere“, credendi videlicet verbo mutuum vel irregulare depositum describens.

Gravissimi sane ac certissimi, ubi de edicto praetoris agitur, Ulpianus et Paulus sunt testes. qui quod dicunt, praetorem sub titulo de rebus creditis edixisse de omnibus qui ex re oriantur contractibus, id quemadmodum vel doctissimi

nostrae aetatis viri refutare possint parum intelligo; at si ultro opus esset probatione, vix certiore posset confirmari argumento, quam quod ex Plautinis constat fabulis cuius generis contractui vulgo crediti nomen datum esse. in Pandectis quoque iidem contractus ad exemplum edicti in ordinem reducti videntur. praemisso enim generali de rebus creditis titulo (XII 1), qui idem mutuum speciatim tractat, sequuntur tituli commodati (XIII 6), de pignoratitia actione (XIII 7), depositi (XVI 3), tandem mandati (XVII 1), quem ceteri ex consensu oriundi contractus excipiunt. clarius etiam in illis fragmentis, quae ex commentariis Ulpiani et Pauli in Pandectas desumpta sunt, ordo edicti apparet. Ulpiani ex commentariis ad edictum invenies

ex l. 26: fr. 1, 7, 9, 11, 13 de R. C.

ex l. 28: fr. 1, 3, 5, 7 commodati, fr. 9, 11, 15 de pign. a.

ex l. 29: fr. 14 de R. C.

ex l. 30: fr. 22, 24 de pign. a., fr. 5, 7 depositi,

ex l. 31: fr. 15 de R. C., fr. 25 de pign. a., fr. 3 depositi, fr. 6, 8, 10, 12, 14, 16 mandati;

item ex Pauli commentariis

ex l. 28: fr. 2, 6 de R. C.

ex l. 29: fr. 2, 15, 17 comm., fr. 14, 16, 18, 20 de pign. a.

ex l. 31: fr. 2, 13 depositi,

ex l. 32: fr. 16 de R. C., fr. 1, 3, 5, 9, 22, 26 mandati.

Omnes igitur qui ex re nascantur contractus inter crediti olim species fuisse positos contendo, ceteras ex re obligationes, quae quasi ex contractu existere dicantur, haud item. nam licet praetor non sine ratione de his ac de rebus creditis conjuncte edixerit, patet tamen, qui solvendi animo praestet aliquid ac distrahere magis quam contrahere negotium velit, eum nequequaquam dici posse accipientis fidem secutum esse.

Sed alia ratione crediti vis paullatim excrevisse videtur. olim si quis rei datione ierat in creditum, eandem rem qui acceperat restituere debebat. et quantum licebat in iis rebus quae pondere numero mensura consistunt aliud pro alio solvi, tunc quoque idem reddi videbatur, quia in his rebus tantundem ejusdem qualitatis pro eodem habebatur. posteriore tempore, etiam citra earum, quae in genere suo functionem recipiunt, rerum dationem, obtinuit posse quem credito ita obligari, ut aliud quam quod accepisset deberet. neque hoc jureconsultorum demum aevo valebat, sed jam Plauto idem notum fuisse videtur. sic in Pseudulo (μ_α) leno adulescenti, qui amore et inopia argentaria se perire queritur, hocce dat consilium:

emito die caeca hercle olivom, id vendito oculata die;
jam hercle vel ducentae possunt fieri praesentes minae.

negat adulescens hoc ita fieri posse, propter annorum legem, „metuunt credere omnes“, i. e. neminem invenio nec qui venditor mercem mihi tradat ante pretium a me solutum, nec emptorem a quo pecuniam accipiam donec rem illi praestitero. simili modo in Asinaria (μ_β) qui heri vendidit hodie ab emptore satisfactum sibi esse jactitat, addens

prius quae credidi vix anno post exegi.

quaeri possit utrum quod ita datum est, an quod ab accipiente contra praestandum sit, ex more Plautino creditum dicatur. in Persa (μ) Toxilus cum lenone de amica liberanda pactus est, argentumque ad diem soluturum se juravit. cum dies advenit, neque amator habet pecuniam solvendam, nec dominus ancillae nondum accepto pretio procedit ad manumissionem, negat se credere. id quod ita refert Toxilus:

negabas credere argentum mihi

cf. V 2, 8: fidem non habui ei argenti

unde tamen nil ex omni parte certum constituitur, cum rogaverit facile adulescens ipsum etiam lenonem pecuniam mutuam, qua debitum pro amica liberanda exsolveret.

Quae cum ita sint, liquet sane quod ait Paulus, „interdum esse creditum etiamsi nihil proficiscatur“. nam etsi dubitari possit num hac Pauli sententia jam Plauti tempore peraeque valuerit, constat tamen hanc a Paulo dictam crediti speciem cum credito quod Plautus noverat quam maxime fuisse conjunctam. nam quodcumque ita contrahebatur negotium, ut alter vel daret vel faceret aliquid alteri et is, cui hoc daretur vel fieret, obligaretur inde ad restituendum aliquid post aliquod temporis spatium, creditum a Plauto dici videtur. at si quid datum vel factum ita est, ut alter contra protinus solvat, hoc sane creditum non est. tamen ex hoc etiam nasci creditum possit, puta illum qui obligatus sit ad solutionem statim perficiendam haerere in praestando, alterum concedere prolationem. quae quo firmior redderetur, nova solebat verbis aut litteris contrahi obligatio. item constat saepe numero creditum a principio in verborum vel in litterarum obligationem esse translatum. quocum congruit optime illa apud Quinctilianum (inst. orat. III 2, 6) formula:

certam creditam pecuniam peto ex stipulatione.

huc pertinet etiam quod Paulus in fr. 2 § 3 cit. perstringit exemplum, si post nuptias dos promittatur. etenim quae ante nuptias promissa dos est, peti nondum potest, neque ergo credita videri potest. sed post nuptias, cum peti con-

tinuo possit, apparet maritum qui non petat fidem sequi debitoris; praesertim ubi nova stipulatione solutionem in aliud differt tempus.

Amplius etiam crediti nomen dilatatum esse ex verbo „creditoris“ elucet, communi omnibus quibus licet petere aliquid ex obligatione undecunque nata. interdum autem mediam quandam inter strictam illam et hanc ultimam significationem credendi verbo vim tributam esse. Gajus (III 124) docet, qui pecuniam creditam, qua de lex Cornelia loquatur, non solum eam esse demonstrat „quam credendi causa damus, sed omnem quam tunc cum contrahitur obligatio certum est debitum iri.“

Regredi denique liceat nobis ad eam quaestionem, quam in deliciis habemus: quod proposui quondam, nullas fuisse Plauti aetate bonae fidei actiones, id non eo dixi animo ut negarem omnino antiquioribus temporibus agi potuisse ex deposito atque ex ceteris quae huic similes sint causis. quicquid creditum fuerit actione peti potuisse libentissime concedo. tamen accuratius essem locutus, si ex consensu olim actiones et obligationes nasci potuisse negassem. quocum multi consentiunt doctissimi viri. movet me imprimis quod nullum exstat in fabulis Plautinis obligationis ex consensu oriundae vestigium. contra omnibus, quas producit poeta, personis persuasissimum esse videmus, nasci ex credito obligationem. sunt qui negant se accepisse creditum vel abjurant etiam, alii qui creditum acceperunt aufugere videntur, sed nusquam in dubium vocatur accepto credito accipientem creditori obligatum vel debitorem esse (cf. $\delta, \varepsilon, \zeta, \eta, \iota\delta, \lambda\alpha, \lambda\delta, \mu\beta, \mu\varepsilon, \mu\zeta$). item ex verbis atque ex litteris etiam nasci obligationes locis Plautinis probari possit (cf. Men. IV 2, 27, Capt. IV 2. 117, Trin. I 4. 25, 26, 102, Curc. IV 2. 40, Bacch. IV 8. 32—42, Ps. I 1. 112—16, IV. 6. 11—16; — Curc. III 40, Cist. I 3. 40, 41).

Constat ergo ex quattuor illis obligationum causis, quae sunt res verba litterae consensus, consensum post ceteras agnitum esse. addo, quod liquet, litterarum obligationes antiquissimas non esse; quoniam quo tempore litterarum usus populo Romano innotuit, jus Romanum jam non rude prorsus atque incultum fuisse scimus. itaque negari non poterit, ex quattuor contractum generibus, quae duo tertio ac quarto loco poni solent, ceteris minores aetate fuisse, et ultimo loco positum minimum. quae cum ita sint, cumque ordinem in enumerandis his contractuum generibus commutari nunquam videamus, suspicari licebit, ipsum ordinem memoria quadam rerum veterum esse constitutum. vetus videtur apud Romanos opinio fuisse, qui ex re et qui ex verbis proficiscantur contractus ceteris omnibus fuisse majores aetate, atque ex his duobus, qui ex re veniant certe non fuisse minores. quae si probabilis est conjectura, nullum apud Romanos quam creditum antiquius fuit contrahendi genus.

A qua sententia multos scio, qui res Romanorum diligentissime cognoverunt, viros prudentissimos dissentire. qui putant nullum olim Romae absque certis verbis aliisve sollemnitatibus valuisse contractum, nullos igitur praeter sponsonem stipulationemque fuisse censent contractus nisi nexum mancipiumque. nam alios quoque olim in usu fuisse, de quibus traditum nobis sit nihil, credibile non est. veruntamen nexum mancipiumque et ipsa antiquissima duci non possunt. non dico de quinque testibus classicis, qui ante constitutas quinque populi Romani classes vix recipi poterant; sed cum damnatio, qua nullum nexum mancipiumque carere possit, sententiae iudicis speciem assequatur, qualis in personali actione proferri debeat, etiam ante nexa mancipiaque fuisse personales actiones probatum esse videtur. unde sequeretur antiquissimis temporibus nullas omnino fuisse obligationes nisi quae ex sponsonibus stipulationibusque proficiscerentur. idquod etiamsi refutari prorsus non possit, pro comperto tamen haberi non debet.